

alium vel alios loco conducti de Istria invenire teneatur, et esse non possit aliquis ex supradictis de provincia vel natione Istrie; et aliquem qui fuerit iudex alicuius potestatis Tergesti conducere non possit, nisi vacaverit a dicto officio iudicatus vel vicariatus per tres annos, nec millites sotos familiam sui predecessoris conducere vel tenere possit secum in dicto numero pro aliquo officio sub dicta pena. ¶ Et si aliquis ex dictis iudicibus sive vicariis vel militibus recederit de civitate Tergesti ante complementum sui regiminis medii anni, quod infra unum mensem alium loco illius recedentis vel deficiente invenire debeat et habere, sub pena libr. centum par. comuni // persolvenda pro quolibet iudice sic deficiente et libr. quinquaginta pro quolibet millite deficiente. ¶ Et quod in fine termini sui regiminis domini potestatis sic contrafacientis procurator comunis Tergesti qui pro tempore fuerit retinere debeat et teneatur dictas penas super salario sive de salario dicti domini potestatis, sub pena predicta dicto procuratori de suis propriis bonis persolvenda. ¶ Item habere debeat infra unum mensem postquam applicuerit civitatem Tergesti sex equos, quos tenere debeat ad dictum regimen usque ad complementum suis regiminis. ¶ Et ipsos equos vel aliquem ipsorum comodare non debeat extra terram alicui forensi ultra quindecim dies, et si aliquis ipsorum moriretur vel venderetur, quod infra quindecim dies habeat alium loco ipsius. ¶ Salvo quod, si aliquis equus potestatis dum iret in servitio comunis acceptus vel interfectus fuerit, solvatur ei per comune secundum estimationem factam per duos bonos homines de dictis equis acceptis sive interfectis. ¶ Qui dominus potestas de predictis iudicibus militibus sotiis domicellis barueriis chocho scutiferi[s] et equis omni mense facere debeat monstram iudicibus et procuratori comunis, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet potestate et sacramento et pro qualibet re de predictis sibi deficiente et vice contrafacta.